# VALENTINI BUSA VILLANOVA

VICETINI

PRO SOLEMNI STUDIORUM INSTAURATIONE

# ORATIO

*DE FONTIBUS JURISPRUDENTIÆ*

Habita in Ecclesia Cathedrali Patavina

Kal. Novembris MDCCXLV.



Patavii Apud Cajetanum de Blasiis Almæ Univ. Typograph. sup. Perm. 1745.

Jurisprudentiæ Philosophia incunabula dedit, eique lucem a barbarie ademtam reddidit eruditio. *Janus Vincentius Gravina in Orat. de Jurispr.*



Um mihi ( CARDINALIS EMINENTISS. NOBILISS. ATQUE EXCELENTISS. CIVITATIS. MODERATORES, ILLUSTRISS. AC SAPIENTISS. PROFESSOR, AC SYNDICE, ILLUSTRISS. AC SAPIENTISS. PROFESSORES, Auditores ceteri Humaniſſimi, Spectatiſſimi) Cum mihi neſcio quo caſu auſpicia Juri facienda ſint, video ea captari non poſſe felicius, quam ab alte repetita dubitatione qui fiat, ut quamquam duobus inſtrui ad jus accedentem præſidiis & facultatis ratio, & uno ſuffragio poſtulent omnes docti, ſapientia ſcilicet, ac eruditione, a pleriſque tamen alterutrum, vel utrumque negligatur. Num, quæ eſt multiplex conſtitutio animorum, alios ad humaniora compoſitos horrere cenſeamus ſpineta Philoſophiæ;

ingenii gravioris alios despicere quicquid non a naturæ ordine profluit, sed memoria hominum & cogitatis unice continetur; alii vero & universorum notiones a certi cujusdam populi institutis avulsas autumant nihil ad jus civile, quo utimur pertinere, & anteactas nobis obiiciunt ætates, queis nullo apparatu bonarum artium commentaria juris exierunt usui forensi tantopere accommodata? Sed erroris quæcumque sit excusatio, quæ præter accusationem ignaviæ in litterarum luce hac nulla esse deberet, hos postulo adolescentes in hos boni ominis gratia disputaturus. Primis ajo prorsus ab intima philosophia disciplinam juris hauriendam esse: alteris vero Jurepe ritum sine admirabili quadam eruditione nullum esse posse: sic tota disceptatione & genus ultimum refelletur. Hoc argumentum tanto alacrius suscipio, quod ii sedent auspices, ii judices, qui tantum optima & sapiunt, & probant.

Ac jus quidem universum qui ab una quadam Civitate derivant, sententiisque hominum quasi incertis finibus circumscribunt, quid possunt alienius excogitare ab ejus artis dignitate ac præstantia, quam veteres divinarum rerum humanarumque scientiam definiverunt? Cui hoc genus hominum inter artes ac scientias ne locum quidem relinquit. Hæ videlicet ab ingeniorum varietate non pendent; loco, tempore non mutantur; imperiorum vices non pertimescunt: sed certæ constantesque universum afficiunt communi notione ac principio genus humanum, cui nihil præter rationem commune cum sit, ecquis dubitet ab ratione artes omnes scientiasque manare?

Ac

Ac, si veri nominis disciplinis adscribi volumus Jurisprudentiam, prorsus esse a ratione veluti fonte unico repetendam? Hoc vero est æternum jus illud quod *non didicimus*, *accepimus*, *legimus*, *verum a natura ipsa arripuimus*, *hausimus expressimus*. Garriant hic licet & quibus ex Carneade *Utilitas sola est justi prope mater & æqui*, & quibus cum Hobbesio jus omne ex pacto est adeo, ut natura cuilibet in omnes & omnia jus sit, & qui cum Spinosa potentiam vimque unam totius fontem juris agnoscunt vesani homines, qui suas fortasselibidines, naturam profecto non agnoverunt. Modo enim adhibeant homines, qua præstant, intelligentiam, hanc proxime Amorem consequi scient: hinc eas, quæ ab Amore profluunt, actiones sibi congruere; cumque ex necessario naturæ ordine iis, quæ sibi conveniunt, unumquodque conservetur ac perficiatur, esse autem ac perfici omnia appetant animantia, ex hoc ipso, quem nullus negaverit, appetitu legem sibi quandam constitui actiones edendi eas, quarum sufficiens in Amore ratio contineatur; quibus quidem voluptas ipsa sit veluti præmium, contrariis vero erroris testis internus, ipsiusque naturæ necessarius dissensus pæna gravissima futura sit. In uno autem Amore contineri præcepta juris omnia, ab hoc uno justitiam esse, ut in naturæ contemplatione ne abutar Apostoli auctoritate, qui hunc *summam legis*, hunc *finem præcepti* vocat, nuperis annis demonstravit naturam sequutus Heinecius, & jam ante Leibnitius innuerat, cum justitiam definiret *charitatem* esse *sapientis*. Spinosiora hæc fortasse, quam locus ferat: tamen di-

Cic. pro Mil.

ad Rom. 13. 9.
1. Tim 1. 5.
I. N. l. 1. 3 § 79.

cenda, ne abirent indicta causa, qui hanc juris originem ideo negligerent, quod irretiti quorumdam captionibus eam de ingenio confictam esse suspicarentur. Quos quidem ultro nunc mecum fassuros esse confido jus esse aliquod ab ipsa natura, cui potissimum nostræ facultatis amplitudo tribuenda sit. Quamquam enim posito homine posuerimus esse jus, ut etiam in eorum sententia consisteret, qui per scelus immane negant esse Deum, si modo hac specie potest esse quicquam; idem tamen juris auctor est, qui & hominis Deus: cum ab eo sit ea constitutio naturæ, ut inde jura nascantur. Quin etiam mancum est, atque imperfectum hoc omne, tantumque interiore vinculo nos obstringens, ut Puffendorfius neget esse jus, nisi ab optima illa, ac potentissima causa repetatur. Hoc itaque a constanti derivatum natura, conditumque a perfecta immutabilique sapientia omni loco, omni tempore unum & idem viget: quod propterea qui contemplatur profundius, is demum dicitur scire jus, ac vere divinarum rerum humanarumque notitiam profiteri, immo in artem quandam & positarum legum doctrinam redigit: siquidem cum lex omnis, ut polleat vi sua, naturæ dictatis congruere non incerta ratione debeat, hac veluti lance artis fit, quod arte ex sui indole non continetur. Verum naturæ jus in tuto est: cum iis modo congrediendum qui putant non esse omnino ab hominis repetendum natura: neque enim deesse explicatiora præsidia, quibus idem assequi tuto possint. Quidnam est, quæso, hoc, quod juris hujus faces potissimæ non perviderunt? Leibnitius

pro-

profecto juris naturalis doctrinam ea ratione flagitare Metaphysicum asserit, qua contemplatio Naturæ Mathematicum postulat. Ille ipse, qui aliquando bacchatur tantopere in Metaphysicos Puffendorfius, nunquam non tamen olet philosophiam. Grotius vero unius Metaphysicæ ope se tam subtiliter hanc Jurisprudentiæ partem principem pertractasse confessus est. Num fortasse alterum illud principium nobis obiiciunt, consensionem videlicet omnium gentium, quam legem naturæ putandam esse Tullius constituit, & qua sæpe Grotius est delectatus? opportunum credo ego his temporibus, quibus tot Pyrthonicorum monstra conantur scientiarum bases subvertere, fontes negligere, rivulos consectari. Ut vero tuta est hæc via? in multis gentium pene omnium consensum deprehendit Heinecius, quæ nemo juris naturæ vel gentium (quod primi illius quasi surculus est) dixerit, veluti πολυθεότητι *idololatria sacrificiis, latrocinis extra cujusque Remp. licitis*. Quid vero Grotius? qui & ex hoc principio tantum ait colligi posse jus gentium, & vero asserit vix reperiri ex hoc aliquid, quod omnibus gentibus commune sit. Ac mihi quidem videretur is qui naturæ jus ex antiquis populorum ac regum scitis colligeret, humanitatem inter barbaros, ac veluti in tenebris lucem quærere. Quod enim jus Romano præstantius extitit? quod propius rationi ac naturæ accessit? in quod *inquisitis exploratisque multarum urbium legibus quæ usquam egregia* confluxerunt. Veruntamen Romana ipsa Jurisprudentia quos nævos habet? In 12. quidem illis Tabulis, quas Livius *fontem universi publici, privatique juris* appellat, *quæ-*

in epist ad Remondum

ex Henrico Boeclero apud Puff. in E. r. de Sca.

Tusc. l. 1 3. prol. § 40.

I. N & G. l. 1. 3. § 71.

pr. § 40. l. 1. 15.

Gelt. N. A. 20 1.

Tac. An. 3. 27

3. 34.

*dam*

*dam aut obscurissima, aut levia, contra dura nimis*
N.A. 20.1. *aut remissa* animadvertit Phavorinus Philosophus apud Gellium; demonstravit autem multo plura Thomasius, cum de nævis ageret Jurisprudentiæ Romanæ Antejustinianææ. Quid de antiqua, quæ consequitur,
Orig. 1.46 Jurisprudentia Janus Gravina ita fere Romana omnia
in præfad. suspiciens ut in eo studium Romanarum partium
Gr. Mascovius notet? *asperam illam vocat tenebricosam & tristem, non tam in æquitate, quam in verborum superstitione fundatam.* Media sane gravior: ea tamen
de off. 3.17 florente sic Tullius. *Nos veri juris, germanæque justitiæ solidam expressamque effigiem nullam tenemus: umbra & imaginibus utimur.* Novam vero ac novissimam non produco, quæ reclinantibus Romanorum moribus, grassante ambitione, premente vi, libertate sublata, florentibus stoicorum turbis, dissidentibus Jure consultis constitutæ, postrema etiam barbarie ingruente, imperio pessum dante nata desiderium no-
Epist. ad bis ingerunt antiquiorum. Etsi itaque cum Joanne
Joan. Tex- Bodino non dico ex libris, quos habemus Romani
torem Juris nihil fere a sordibus & luto purum hauriri, facile tamen Grotio concesserim, quæ in iis traduntur de naturali, ac gentium jure, pleraque confusa esse & complicata, multa ambigua, falsa non pauca: ut sæpius ostendit in libris de jure belli & pacis, præcipue vero cum differit de acquisitionibus, quæ dicuntur juris gentium: quæ cogitata omnia percensere non est temporis: unum aut alterum non est causæ. Tantum liceat Stoicam juris naturæ imperitiam odorari ex ejus celebri definitione, quæ traditur. Utut enim ei defendendæ præclaros conatus exerat Janus Gravi-

na,

na, æquus tamen atque integer judex nunquam concedet feras jure aliquo, quod omnino rationis est, contineri? Nos vero jus naturæ ac gentium ab hoc rivulo, aut aliis impurioribus hauriemus optimo sapientiæ fonte neglecto? sed nolo in invidiam sermone adduci. pura sint, clara & distincta sint omnia. nihil ne opis ipsis positis legibus intelligendis feret philosophia? Ut illa de dolo & culpa, de voluntario & non voluntario, de delictis, de consensu, de obligatione, de rerum divisione, de acquisitione, de possessione ac proprietate, de jure jurando, de pactis ex penitiore Metaphisica tota fluunt? Quot porro sunr, quorum nullum subest quasi corpus, veluti usucapio, tutela, gens, agnatio, hæreditas, aliaque id genus? quot e stoicorum subtilitatibus repetita? quot adhuc reliqua e discrepantibus Juris consultorum sententiis? quibus comprehendendis, enodandis, definiendisque non hercule par sit aliquis in sapientia peregrinus atque hospes. Ostendunt hoc exemplo suo qui destituti hoc necessario præsidio partim docti in rebus levissimis sexcentas uno spiritu citare leges in maximis hærent aqua; partim quod positum est in una cognitione id in infinita dispetiuntur, novisque semper definiendis speciebus jura omnia perturbant.

Grotius de I. B.& Pacis l. 1. & Heinecius pl. locis.

Sed hæc ad commendandum juris studioso sapientiæ studium, quamquam pro argumenti magnitudine pauca sunt, pro temporis tamen ratione sunt nimis multa: adhuc enim superest impellendum genus alterum pertrahendumque ad eruditionem. Atque hac voce magnum quiddam complector, & pluribus ex artibus. studiisque collectum, quod qui adjunxerit

Philoſophiæ, is demum cum in Romano jure, tum in Canonico poterit laudabiliter exerceri. Romanum primo expendamus, cujus *unius ſtudium Græcam, atque Romanam eruditionem trahere univerſam* vere mihi videor cum Gravina eſſe dicturus. Et quanti in primis interſit non pervulgata, ſed ſanctior Latinæ linguæ peritia nos Labeo docet exemplo ſuo, qui in *Grammaticam ſeſe, litteraſque antiquas*, Gellio teſte, *penetraverat, & Latinarum vocum origines percallens ea præcipue ſcientia ad enodandos pleroſque juris laqueos utebatur*. Omnia videlicet hic germana, & pecularia latine dicendi genera, certæque ac ſolemnes formulæ, & priſca verborum vetuſtas, quemadmodum leges decet. Quis vero Juris Interpretem Græca aſpernantem ferat? Mitto jus hoc a Græcia ad nos eſſe translatum: Romanamque linguam, quam ab ipſis hauriendam fontibus eſſe diximus, a Græca quaſi a parente eſſe natam. levia hæc fortaſſe. At levem ne utilitatem Græci nobis afferent? Græcæ Thalelæi Pandectæ, Græcus Codex, Græcæ Novellæ, quæ in latinum ſermonem tam inepte converſæ ſunt, Βασιλικα Baſilii, cetera μικρὰ πρόχειρα, interpretumque Græcorum imperio adhuc vigente reliquiæ ex Fabrotti, & Gravinæ obſervatione quaſi oculus fuerunt oculo Juriſprudentiæ Cujacio. Hic idem Fabrottus ut magnifice de Thephilo loquitur, cum *interpretum facile præcipuum* ex Cujacio vocat, ejuſque Inſtitutiones omnino legendas proponit? Quid quod utraque lingua opus eſt ad Antiquitatem inveſtigandam, cujus nihil penitus Juſtinianus a nobis patitur ignorari? Ac ſane *ſi plurimam Antiqui-*

[Margin notes: in pr. ad orig. — N. Att. 12. 10. — Apol. pro Græcis. Orig. l. 138.]

ta-

*tatis effigiem in omni jure civili* Cicero mirabatur, *si posteriores leges ad priores pertinere* Pauli Juris consulti sententia est, si quæ scripserunt Prudentes vel fluunt a veteri jure, vel inserviunt ei temperando, si quæ Principes nova constituerunt, ita constituerunt ut retenta vetere facie fucum populo facerent, unde involuta satis, & confusa jura orta sunt, qui antiquitatis cognitione neglecta Romanum jus assequemur? ecquid Labeo, si Gellio credimus, *ratum pensumque habebat, nisi quod justum, sanctumque esse in Romanis antiquitatibus legisset?* Atque hoc quidem Labeoni studium stante Romano populo fuit. Quid igitur nostris temporibus dicendum putemus? quibus alii mores, magistratus, religio, judicia, imperiorum & Rerump. facies alia, verbo veteris illius formæ nullum vestigium. Quæ porro momenta addit Tribonianus? Qui, fatentibus ejus patronis Cujacio & Gravina, *non tam diligens atque accuratus fuit, quam se imprudenter profitetur*; ut vero plerique sentiunt, multa etiam consulto vitiavit. Quid? *incivile esse* Celsus ait, *nisi tota lege perspecta una aliqua particula ejus proposita respondere vel judicare*. At quot istiusmodi particulæ iu libris Justinianæis? Omnino itaque juris studioso quærenda est origo totius Romanæ Jurisprudentiæ, inspiciendæ ejus ætates omnes ac vices, investigandi præterea Romanorum mores, tenenda religio, discendæ solemnes formulæ, judiciorum ordo, auctoritas Magistratuum, constitutio Reip:, studia sectæque prudentium, temporum series, antiquitatis totius penetralia lustranda sunt. Ut lauta hæc, adolescen-

de orat l. 43.
l. 28. D de LL.
Noct Att. 13 12.
Ors j cia: l. 137
Hein Ant Rom. proæm
l. 24 D. t. de LL

 tes,

tes, ut ſplendida ſupellex eſt! cui comparandæ volvenda ſunt totius fere monumenta vetuſtatis, legendi poetæ, Oratores, hiſtorici, ac Græci præcipue Romanarum rerum ſcriptores non negligendi; cum quæ ſolet eſſe omnium fere externa ſcribentium cura & diligentia, Romani Populi mores, inſtituta, ritus, politiam accuratius Romanis ipſis deſcripſerint. Sed cui non dictus hic hylas, poſtquam Cujaciana litteris lux enituit, expulitque caliginem illam, qua non ex jure, quod ignorabatur, ſed ex Accurſii, Baldi, Bartoli ingenio omnia definiebantur. Propero ad jus canonicum quod Eruditionis ſacræ & Profanæ præſidio indiget, ſi quicquam aliud. Ac profanæ neceſſitatem quis non intelligit, modo didicerit a Cujacio *juris iſtius interpretem idoneum fore nullum, niſi ſit Juris civilis peritiſſimus*, ac modo ſciat, ut antiquis Eccleſiæ judiciis Imperatorum poteſtas ſeſe immiſcuerit? Sacram vero commendari vix credo res ipſa patitur. Perbelle hanc in rem animadvertit Joannes Gerſonius per quadringentos annos ſic fuiſſe gubernatam Eccleſiam, ut qui Theologi, iidem eſſent & interpretes canonum, *Canones vero non eſſe aliud, quam concluſiones e principiis Theologicis elicitas, vel illatas*. Quid mihi opponis hæc contineri in ea, qua utimur Decretorum, collectione Gratiani? Nonne quicquid eſt in toto Gratiano, nihil inde mutuatur juris, ſed omnia ad ſuam primævam auctoritatem ſunt revocanda? Perlege nunc Antonii Auguſtini Dialogos de emendatione Gratiani. Intelliges ab eo ſæpe erratum in Nominibus Hominum, urbium,

ad c. 15 de ſenl. & re jud.

in Recom lic. in Decr.

bium, Provinciarum, conciliorum; sæpe quæ sunt unius Episcopi inferioris Romano Pontifici, aut Concilio Generali, aut Provinciali tribui: multa Gregorii, Ambrosii, Augustini, vel Hieronymi verba dici, quæ aut nusquam extant, aut aliena sunt: illa ipsa, quæ inscriptiones habent veras, non recte referri: sæpe enim contrarias proponi sententias, sæpe valde præcisas. His adde prætermissa multa ex canonibus Conciliorum, & ex vetustis Pontificium Decretalibus: Adde ea, quæ a græcis fontibus manant ex variis interpretationibus afferri, quasi sint aliorum scriptorum, & sæpe aliud græce, quam latine significare; Adde præter Canones Apostolicos, præter Epistolas, & constitutiones Clementis Primi, ex Ivonis & Burchardi collectionibus desumta errata, pus Isidori Mercatoris, aliorumque præstigiatorum commentitios canones, qui toto decreto, quæ erat sæculorum barbaries, latent. Quale igitur ex solo Gratiano Jus Canonicum haurias, & quid prorsus ab eo percipias de Ecclesiasticæ disciplinæ vicibus, veteribusque judiciis, quæ nos fugere omnino non debent? Horum enim ignoratione concrevit laxior illa doctrina Canonum, ut nihil fere sit tam remissum, ac tam obsurdum, quod non ex ea quasi justum, sanctumque deducant vespertiliones ac lucifugæ quidam eo religioni infestiores, quod hoc fidelibus obductum religionis specie venenum propinant. Cui malo ut mederetur D. Carolus, Ecclesiæ Mediolanensi nihil magis, quam pristinæ disciplinæ studium commendabat. Quid si, ut optime Vanespenius, exacta hodiernæ disciplinæ no-

ex ejus Vita

in proleg. ad jus can univ.

notitia ſine illa haberi nequeat? A priſtina nimirum veluti rivulus e fonte hæc fluit: Immo hodie plura non ſunt niſi priſtinæ diſciplinæ reliquiæ, qua ignorata credideris inanes ritus; ea vero cognita perſpicies plena hæc eſſe Eccleſiæ ſpiritu, qui nunquam mutatur. Ut igitur nihil dicam de veteri Eccleſiæ ſtatu ac politia, de judiciorum primævo ordine, de antiquis diœceſeon, provinciarum, epiſcoporum juribus, de hiſtoria Pontificum & Conciliorum, de priſcis Orientis, Occidentiſque Canonum collectionibus, ceteriſque id genus, quæ ſtudioſo Pontificii juris quaſi vela remique ſunt; quam ei facem præferent & Provincialia concilia, quæ Generalium Synodorum, totiuſque Eccleſiæ ſenſum ſæpiſſime interpretantur, atque declarant? Illud interim prætereundum omnino non eſt hæc omnia ſumma critices diligentia pertractari oportere. Uſuvenit enim ſacrarum doctrinarum veluti fato quodam, ut ſcriptores alii livore ducti impulſique nequitia multa ſimulent, multa vitient, ſuſdeque agant omnia; alii ſuperſtitione obcæcati principiis utantur veritati inquirendæ minime accommodatis; alii vero ſcribant ad gratiam, honoreſque voluminibus aucupentur: quibus proinde legendis qua ingenii ſolertia, qua judicii ſagacitate, utque animo & natura, & arte ad id inſtituto opus eſt? Ardua hæc non inficior, Adoleſcentes, & in ſublimi quadam celſitudine poſita. at nobis Euclidæum illud Wolfius recinit in qualibet facultate veriſſimum *non dari regiam ad ſcientiam viam*: alte etiam noſtris animis fixum hæreat, nullum eſſe aliud, quam ex

in præf 1. part pract

ſtu-

ſtudio recte Inſtituto compendium: hac enim licebit nobis eo, quo contendimus pervenire; alia nunquam licebit. Quamobrem Macti animis in hoc omnes enixe incumbamus, ut a naturæ fontibus hauſtam Juriſprudentiam quaſi optimo condimento temperemus eruditione. Excitant nos doctrina, ſplendore nominis, exemplo ILLUSTRISS. AC SAPIENTISS. PROFESSOR AC SYNDICUS, ceterique ILLUSTRISS. AC SAPIENTISSIMI PROFESSORES. Excitant vero EMINENTISSIMUS CARDINALIS, ET NOBILISSIMI ATQUE EXCELLENTISSIMI CIVITATIS MODERATORES, quorum auſpicia ut alia bona, ſic litterarum felicitatem portendunt.

DIXI.